



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta**

**Hillesheim, Ludwig**

**Antverpiæ, 1577**

Caleb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](#)



*Cernite diuinæ rerum miracula dextræ,  
Signa Dei terris, signaq; facta mari.*

*Vtq;*

## MONUMENTA.

33

Utq; suo lectam firmarit numine gentem,  
 Præsenti semper conspiciendus ope.  
 Myriades sensere virum, manibus tetigere,  
 Viderunt oculis facta stupenda suis.  
 Attamen è tanto, dictu mirabile, cœtu,  
 Tantum constantes unus, & alter erant.  
 Hæc tibi laus uni cum magno restat Iesu,  
 Innocuum quorum fugerit ira caput.  
 Missus ut addicte lustrares commoda terræ,  
 Læta refers, alijs tristia cuncta ferunt.  
 Terra ferax, referunt, prægrandes cernite fructus,  
 Attamen armata vix adeunda manu est.  
 Diriguere noua pauide formidine mentes:  
 Erigis hortatu tristia corda tuo;  
 Extenuaq; metus. Sed non infida mouentur  
 Pectora, præcipites impius ardor agit.  
 Ergo pater ne regna unquam promissa viderent,  
 Ingratos properat tollere morte viros.  
 At pietas te sancte Caleb felicibus oris  
 Intulit, hec meruit præmia sancta fides.  
 Discite sublimes mira sub imagine caussas,  
 Facta stupenda etiam mystica facta fide.  
 Gens Hebreæ malos; Calebi sors, fata piorum;  
 Terraq; promissi fæderis, astra notat.  
 Impius his merito frustrabitur omne regni,  
 Debentur tantum mentibus illa piis.  
 Læta tuo vati huc aditum post funera præsta,  
 Sancte parens, animæ sors sit ut illa meæ.

Num. 13, 14.

C IOSVA.